

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.  
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.  
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.  
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

**Crantz, Heinrich Johann Nepomuk**

**[Wien], 1765**

Acrimoniæ Oleosæ, Biliosæ Putridæ Contraria.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10189**

potest. Vix vero adeo liberaliter procedendum post monitum *ÆSCULAPII Angli HUXHAM*, dum phthisim, scorbutum liberalius assumpta similia inducunt.

SALIA ALCALINA VOLATILIA oleosis inquinata partibus a nonnullis in hanc indicationem plurimum laudantur.

---



---

### ACRIMONIAÆ OLEOSÆ, BILIOSÆ PUTRIDÆ CONTRARIA.

VICTUS ex farinosis, acescentibus plantis.

POTUS ex iisdem, vel ex fructibus horæis decoctis.

CASSIA FISTULA vide *Purgantia*.

MANNA vide *Purgantia*.

MEL vide *Antidota*.

SACCHARUM *Off.* Classis Arte productorum.

Ordo Vegetabilium gramineorum, *Germ.* Zucker, *Gallis* Sucre, *Anglis* Sugar.

**E**x arundine saccharifera pressus, coctus, mediante lixivio ex cineribus & calce viva facto, saepius despumatus, inspissatus, insolatus succus, saccharum dicitur, licet etiam ex aliis paratum tale vocetur: ita ex betæ albæ, rubræ, dauci, fisari, radicibus, saccharum paratum, *MARGGRAF Acad. de Berlin 1747.* Ex Apocyni specie *Acad. des Sciences 1703.* ex acere Ame-



Americano, *Memoires, de Mathematique & Physique* presentées à l'Acad. Royale des Sciences T. II. cuius vis bechica, demulcens, in tussi, raucedine, utilis. G A U T I E R. *ibid.* ex acere campestri GRUNER. *Franconica collect.* Vol. IV. Adhæc ex lacte saccharum lactis officinis receptum, acrimoniis utile, conficitur.

Sacchari variæ species sunt, variis etiam dotibus præditæ. Est vero saccharum sal essentiale inflammabile oleo acido & terra conflatum.

SACCHARUM CRUDUM, etiam THOMÆUM nonnullis vocatum, oleosum, pingue, in aere humescens, impurum, omni acrimoniæ, præterquam oleofæ conveniens. Interne raro datur, in clysmatibus, solvendi, & demulcendi scopo præscribitur vilissimum, ab uncia una, ad duas.

SACCHARUM *Pyramide*, niveum, læve, sèpius rafinatum, in aere siccum inanens, aqua statim solubile, salis alcalini acido temperati magnam vim in se recondit, docet sal ammoniacum saccharo hocce tritum. Id saponaceum magis, olea aquis miscibilia reddit, magis abstergit, ut in hac acrimonia oleosa princeps; hinc in febribus acutis, ubi plethora oleosa pessima mala minatur, adeo utile, L. B. van SWIETEN maxima dosi exhibitum. Etiam acre dentes exedit, oculorum pannos absunit pulveratum, calamo inflatum; a corruptione plantas, succos harum præservat, artificio in conservis, & syrupis noto: adhæc antidotum est veneni, quo Americani tela sua imprægnant, & valens in scorbuto medicamentum habetur, BISSET. *Treatise on the*

*Scurvy* 1755, & in incipiente hydrope oxi saccharum, quo alimenta præsertim animalis generis condiantur, egregium *TYSSOT de hydrope*.

SACCHARUM *Candum* ad funiculos crystallisatum, angulosum, album, & flavum est, præcedenti demulcens magis, magis oleosum, in potibus theiformibus ad morbos pectoris asperos priori præferendum. *BOERHAAVE*.

SACCHARUM *Rosaceum* in phthisi pulmonali ab omni tempore proficuum fuit assidue usu.



CLAS-

---

CLASSIS OCTAVA  
EVACUANTIUM,

---

*I. SUDORIFERA.*

**Q**uae insensibilem perspirationem, visibilem, aquosam, efficiunt, talia dicuntur.

Usu in hæc habent in miasmate quocunque maligno suscepto, pestifero, venenato, venereo subtiliori nondum fixato, in constitutione epidemica cognita, in morbis subcutaneis, scabie, psora, lepra, lue Gallica, ulcerosa, tum in incipiente sudore critico; non tamen omnia promiscue adhiberi debent, his enim casibus, aliis alia magis preferuntur.

Contra indicantur vero I. a crassitie sanguinis, ab inflammatione obstructione graviori. II A nimia humorum solutione corporis debilitate, ut in hectica &c.

Cæterum disposito corpore sudorifera petuntur

1. Ex potu aquoso calido.
2. Acidis. Aceto simplici  
destillato, quæ optima.
3. Ex antimonialibus, ut stibio diaphoretico non  
abluto &c.
4. Ex stimulantibus P. I.

5. Ex

